

# Dokumente

## über die Weihe unserer Klosterkirchen

(Fortsetzung)

### 10. Zizers (Hospiz) / 1696

Udalricus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Curiensis Sac. Rom. Imp. Princeps universis et singulis præsentes litteras inspecturis, lecturis pariter vel audituris salutem in Domino sempiternam.

Fidem facimus et attestamur quod anno Domini MDCXCVI, die vero 28. Octobris consecraverimus Ecclesiam sitam in pago Zizers territorio Rhætiæ nunc Dioecesis Curiensis in honorem Sanctissimæ et individuæ Trinitatis et Gloriosissimæ Virginis Mariæ, ad nomen vero et memoriam SS. Petri et Pauli unacum tribus altaribus in eadem existentibus, in quorum primo, quod in Choro est, in honorem Beatissimæ V. Mariæ et Ss. Apostolorum Petri et Pauli, reliquias Ss. Lucii, Callisti et Prosperi Martyrum; In secundo, quod est in cornu Epistolæ, in honorem Sanctæ Annæ, S. Michaelis Archangeli et S. Antonii de Padua, reliquias Ss. Justi, Fortunatæ et Venturæ Martyrum; In tertio, quod est in cornu Evangelii, in honorem S. Josephi, S. Francisci, S. Sebastiani et S. Caroli, reliquias Ss. Piæ, Venturæ et Saturnini; In sacello tandem B. V. Rosarii; quod est in honorem S. Dominici et S. Catharinæ Senensis Virginis, reliquias Ss. Felicissimi, Fortunati et Deodatae Martyrum incluserimus et Singulis Christi-Fidelibus hodie unum annum, et in die Anniversario Consecrationis hujusmodi ipsam visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessimus. Diem vero Dedicationis hujusmodi Ecclesiæ statuimus annuatim celebrandum Dominica prima post festum SS. Apostolorum Petri et Pauli. In quorum fidem etc. Curiæ ex Residentia nostra Episcopali, die 18. Augusti 1698

Franciscus Meinradus, Secretar.

*Original im Archiv des Hospizes Zizers.*

### 11. Andermatt (Hospiz) / 1759.

Joannes Antonius

Universis fidem facimus, et attestamur, quod anno Domini 1759 die vero I. mensis Julii consecraverimus Ecclesiam parochiale in valle Ursaria Helvetici districtus nostræ Dioecesis Curiensis sitam in honorem Ssmæ et individuæ Trinitatis et gloriosissimæ Virginis Mariæ, ad nomen vero et memoriam SS. Apostolorum Petri et Pauli unacum quatuor altaribus lateralibus ibidem (altari majori seu illo, quod est in choro, jam prius consecrato) existentibus, in quorum primo, quod est a dextris Ecclesiam intrando, et primum a Choro in cornu Epistolæ, ac erectum in

honorem B. V. M. dolorosæ, reliquias SS. M. M. Fidelis et Clementis, in secundo, quod est pariter a dextris Ecclesiam intrando, et secundum a Choro in cornu Epistolæ, et ædificatum in honorem SS. M. M. Julii et Joannis Nepomuceni, reliquias SS. M. M. Pii et Rogati, in tertio, quod est a sinistris Ecclesiam intrando, et a Choro primum in cornu Evangelii, ac exstructum in honorem B. V. M. gloriosæ, reliquias SS. M. M. Gaudentii et Theodori, in quarto denique, quod est pariter a sinistris Ecclesiam intrando, et secundum a Choro in cornu Evangelii, et dedicatum SS. Antonio Paduano, et Antonio Eremitæ, reliquias SS. M. M. Valentis et Modesti inclusimus, et singulis Christi fidelibus hodie unum annum, et in die anniversaria consecrationis huiusmodi ipsam visitantibus quadraginta dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessimus, diem dedicationis præfatæ Ecclesiæ autem annuatim celebrandum statuimus dominica prima post festum SS. Ursulæ et Sociarum Martyrum. In quorum fidem.

*Bistumsarchiv Chur.*

## 12. Romont / 1773 und 1866

1. Josephus Nicolaus de Montenach, Dei et Sæ. Sedis apostolicæ gratia Episcopus ac Comes Lausannensis, S. D. Princeps etc., etc, universis praesentes inspecturis et lecturis, ad futurum rei memoriam.

Notum facimus, quod anno millesimo septingentesimo septuagesimo tertio, die vero prima Maji, occurrente festo ss. Apostolorum Jacobi et Philippi, sacellum hospitii RR. PP. Capucinorum, in urbe Rotundimontana situm, in honorem Sanctissimi Salvatoris D. N. J. C. in monte Thabor transfigurati exstructum, et in conventione pacifica cum RR. PP. Capucinis a Nobis inita, sacellum Sancti Francisci de Paula nuncupati, una cum tribus altaribus, majus nempe in honorem Transfigurationis D. N. J. C., Sanctissimæ Virginis Mariæ, et Sancti Francisci de Paula; item altare in honorem Sancti Francisci Seraphici, et Sancti Josephi de Leonissa, ex parte Evangelii, et altare in honorem Sancti Antonii de Padua, et Sancti Fidelis Martyris, ex parte Epistolae, in iisdem reliquias SS. MM. Donati, Felicis, Severini, Crescentii, Placidi, Ursi, Victoris, Probi et Mansueti, includendo, exhibitis et observatis cæremoniis et ritibus a S. R. Ecclesia præscriptis, ad humiles preces multum Reverendi et Religiosissimi in Christo Patris Dionisii, pro tunc Provincialis Sancti Francisci Capucinorum per Helvetiam, Pontificaliter in actu Visitationis Nostræ pastoralis, benedixerimus et consecraverimus; cuilibet vero præfatæ capellæ consecrationi assistentium, ac omnibus illam eadem die consecrationis visitantibus, unum annum de vera indulgentia, in forma Ecclesiæ consueta concessimus. — Anniversaria autem die, quam in hunc finem statuimus Dominicam primam Septembris, dictum sacellum pie visitaturis, ibidem-

que pro christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, et Sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione oraturis, quadraginta dies de vera indulgentia, in forma quoque Ecclesiæ consueta, elargiti fuimus.

In quorum omnium fidem, præsentibus subscrisimus, sigillumque Nostrum, quo in talibus utimur, appendi jussimus, Friburgi in Domo Residentiæ Nostræ, die decima quinta Novembris, anno millesimo, septingentesimo, septuagesimo tertio.

Josephus Nicolaus  
Epps. Lausann.

(Sceau de l'Evêque)

Franciscus Perroud, Secretarius.

*Klosterarchiv.*

2. Stephanus Marilley, Dei et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopus Lausannensis et Genevensis, Comes et Prælatus Solio Pontificis Assistens etc. etc.

Universis præsentes Litteras inspectuſis aut lecturis vel legi audituris, ad futuram rei memoriam, notum facimus quod anno millesimo octingentesimo sexagesimo sexto, die vero vigesima octava Maji, in ecclesia conventus Fratrum Sancti Francisci Minorum Capuccinorum Oppidi Rotundimontani, altare majus in honorem Transfigurationis D. N. Jesu Christi, inclusis in eo Reliquiis Sanctorum Martyrum Candidi, Justi et Mansueti, adhibitis porro et servatis omnibus ritibus ac cæremoniis quæ in Pontificali Romano præscribuntur, pontificaliter benedixerimus et consecraverimus; cuilibet vero astantium consecrationi huiusmodi et omnibus idem altare ipsa consecrationis die visitaturis et ibidem iuxta mentem Ecclesiæ oraturis unum annum de vera indulgentia, iis autem universis altare illud die consecrationis anniversaria visitaturis et similiter oraturis quadraginta dies de vera indulgentia in forma ecclesiæ consueta elargiti fuerimus.

Datum in præfato conventu Rotundimontano, anno, mense et die, ut supra.

Sigillum

Steph. Episc. Laus. et Genevensis.

*Klosterarchiv Romont.*

### 13. Realp (Hospiz) / 1881

Franciscus Constantinus, Dei et Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Curiensis, Partis Helvetiæ Diœcesis olim Constantiensis Administrator, S. Sedi immediate subjectus, Dominus in Fürstenburg et Fürstenau etc.

Universis et singulis præsentes has Nostras inspecturis vel legi audituris Salutem in Domino Sempiternam! Fidem facimus ac attestamur, quod Nos anno Domini millesimo octingentesimo octogesimo primo die vigeſima prima mensis Augusti consecravimus Ecclesiam in loco Realpii, Val-

lis Ursariæ, Pagi Uraniensis et Dioecesis Nostræ, in honorem Sanctæ Crucis, cum Altari majori in honorem Inventionis Sanctæ Crucis, alio Altari ad cornu Evangelii existente in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ, alioque Altari ad cornu Epistolæ existente in honorem Sancti Joseph, et Reliquias sanctorum Martyrum Felicis et Fausti in eis inclusimus et hodie singulis, qui actui Consecrationis hujus devote interfuerem, unum annum, in die vero anniversario Consecrationis hujusmodi dictam Ecclesiam et Altare visitantibus quadraginta dierum Indulgentiam in forma Ecclesiæ consueta concessimus, ac Dedicationis Ecclesiæ diem Dominica secunda Septembbris annuatim celebrandum statuimus et ordinavimus.

In quorum fidem præsentes manu et sigillo Nostro Episcopali firmatas dedimus die et anno, ut supra.

Franciscus Const. Epps.

*Pfarrarchiv Realp.*

#### 14. *Pardisla-Seewis (Hospiz) / 1900*

Joannes Fidelis, Episcopus Curiensis etc.

Has præsentes Inspecturis Salutem et Benedictionem in Domino. Fidem facimus et attestamur, quod Nos anno MCM, die 12. Augusti consecravimus novam ecclesiam in Pardisla-Seewies, pagi Rhætiæ in honorem S. Joseph, sponsi B. V. M. et S. Fidelis a Sigmarina una cum tribus altaribus in ea existentibus, in quorum primo in choro in honorem S. Joseph, S. Fidelis a Sigmar. et S. Francisci Seraphici, reliquias SS. MM. Fidelis a Sigmar. Jucundini et Abundantii; in secundo ad cornu Evangelii in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ et Sanctarum Claræ et Emeritæ, reliquias S. Fidelis a Sigmar, SS. Sodalium S. Ursulæ, S. Victoriani; in tertio ad cornu Epistolæ in honorem S. Laurentii, S. Lucii et S. Antonii de Padua, reliquias S. Fidelis a Sigmar, S. Victoriani et S. Jucundini in clusimus et singulis Christifidelibus hodie unum annum, in die vero consecrationis anniversario ipsam devote visitantibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessimus, denique anniversarium Dedicationis ecclesiæ et altarium hujusmodi Dominica secunda mensis Augusti (juxta computum civilem) annuatim celebrandum statuimus. In quorum fidem etc. anno, die et mense, ut supra.

Curiæ Ruætorum sub signo sigilloque Nostro

Joannes. Fidelis, Epps.

Dr. Joannes M. Ruoß, Registr. episc.

#### 15. *Landquart (Hospiz) / 1908*

Georgius, Episcopus Curiensis etc.

Has præsentes Inspecturis Salutem et Benedictionem in Domino.

Fides facimus et attestamur, quod Nos anno MCMVIII, die 13. Decembris consecravimus novam Ecclesiam in Landquart, pagi Rhætiæ,

in honorem S. Fidelis de Sigmaringen, Martyris, una cum altari in choro in honorem S. Fidelis et S. Georgii, Martyris, reconditis reliquiis SS. MM. Fidelis a Sigmaringen, Lucii Eppi et Martyris, Abundantii et Fausti et singulis Christifidelibus hodie unum, in die vero consecrationis anniversario ipsam devote visitantibus quadraginta dies de vera Indulgencia in forma ecclesiæ, consueta concessimus, denique anniversarium Dedicationis Ecclesiæ et Altaris die sexta mensis Septembris annuatim celebrandum statuimus. In quorum fidem etc. anno, die et mense, ut supra.

† Georgius

*Kopie im Provinz-Archiv,  
Cista 6 Ib. 6*

Dr. Joannes M. Ruoss  
Registr. episc.

### 16. Altdorf / 1585

Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus D. Balthasar, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Ascalonensis, Eminentissimi Principis ac Domini D. Marci Sittici S. R. E. Cardinalis ac Episcopi Constantiensis Suffraganeus ac Vicarius generalis consecravit hanc Ecclesiam et Altaria duo: Majus quidem in Choro ad laudem et gloriam Dei Omnipotentis, et in honorem B. V. M., Petri Apostoli et Ludovici Ep. ac omnium Sanctorum inclusitque reliquias S. Mathiæ Apostoli, Ursi Martyris, Rosæ Virginis et aliorum etc. — Secundum in Sacello consecravit ad laudem et gloriam B. V. et in honorem Seraphici P. N. Francisci, Bernardini et Gualtheri Conf.; inclusisque reliquiis Ss. Mauritii Martyris, et Leandri Conf., Luciæ Virg. et aliorum etc. concedendo singulis Christifidelibus hoc ipsum in Anniversario die Dedicationis eius (qui erit die Dominica prima post Octavam Paschæ, videlicet Misericordia Domini) pie ac devote visitantibus 40 dies mortalium et 300 venialium peccatorum de vera et ordinaria indulgentia, quod super memoratus Dominus Episcopus propria manu in schedula reliquiario inclusa subscrispit et subsigillatione contestatus fuit. Actum die 3. Maii Anni 1585.

Tertium Altare in Sacello Mortuorum consecravit Reverendissimus Dominus D. Antonius Episcopus Tiberiadis, Suffraganeus Constantiensis in honore S. Michaelis Archangeli et Omnium SS. Angelorum, die 28. Maii 1621. (Plura non constant).

Duo Altaria extra Chorum consecravit Reverendissimus Dominus D. Sigismundus Episcopus Heliopolitanus, Celsissimi Principis ac Domini Dni Francisci Joannis Episc. Constantiensis Suffraganeus. Illud in cornu Evangelii seu ad latus sinistrum in honorem S. Caroli, Bonaventuræ et S. Claræ. Alterum ad latus dextrum in Honore SS. Antonii de Padua, Josephi et S. M. Magdalena. His duobus altaribus inclusæ sunt reliquiae Sanctorum Januarii, Candidæ et Perfecti Martyrum. Actum 13. Septembris Anno 1676.

### 17. Rapperswil / 1607

Millesimo Sexcentesimo septimo, die vigesima tertia Sept. Ego Joannes, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Curiensis ex speciali licentia Reverendissimi et Illustrissimi Episcopi Constantiensis consecravi Ecclesiam hanc cum tribus Altaribus: Majus in Choro in honorem Bmæ Mariæ Virginis visitantis S. Elisabeth, Altare in dextera parte in honorem S. P. Francisci, Altare in sinistra parte in honorem S. Claræ Virginis.

Ecclesiæ huius dies anniversarius Dominica ante Festum S. Michaelis Archangeli celebratur.

*Provinz-Archiv, Cista 6 M. 15.*

Sacellum pro sepultura Fratrum idem qui supra consecravi die 24. eiusdem mensis et anni; cuius dedicationis dies celebratur Feria secunda post Dominicam ante Festum S. Michaelis Archangeli.

### 18. Schüpfheim / 1662 und 1892

1. Fridericus Borromæus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Patriarcha Alexandrinus ac Summi P. N. D. Alexandri P. P. VII ad Helvetios et Rhætos etc., cum facultate legati de latere Nuntius etc. Omnibus, et quibuscumque per præsentes notum facimus et testamur. Nos hac die xxvii mensis Augusti 1662 Dominica ultima, consecrasse Ecclesiam P. P. Capucinorum loci Schüpfhemi in Ditione Lucernensi Diœcesis Constantiensis, et in ea tria Altaria, sc: altare majus in honorem S. Caroli Borromæi; altare ad latus dexterum in honorem Bmæ. Virginis Mariæ et s. Antonii de Padua, ac altare ad latus sinistrum in honorem S. P. N. Francisci et s. Vitalis Mart.; et in iisdem Reliquias SS. Martyrum Saturnini, Aureliæ et Piæ inclusisse, singulisque Christi fidelibus hodie unum annum et in die anniversarii consecrationis huiusmodi, quam ex justis causis in tertiam Dominicam Octobris transferimus, ipsam visitantibus 40 dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessisse. In quorum etc.: in Schüpfen die 27 Augusti 1662.

Fdr: Patr.a Alex. N. Ap.

*Provinz-Archiv Cista 6 G. 7.*

Felix Paradisus, Secretarius

2. Præsentibus notum facimus et testamur per Reverendum Episcopum Leonardum Diœcesis Basiliensis antistitem die 26. Octobris 1892 consecratam fuisse ecclesiam conventualem Ordinis S. Francisci Capucinorum in Schüpfheim, in honorem S. Caroli Borromæi, necnon altare ibidem in honorem B. M. V.

Quorum in fidem præsentes dedimus.

Ex speciali mandato Rmi. Ep. Basil. et Lug.  
Jos. Anton Bohrer, Cancellar. episc.

Solodori, die 31. Augusti 1893.

*Kloster-Archiv Schüpfheim*

19. *Stans / 1686 und 1882*

1. Dei et Apostolicæ Sedis Gratia Nos Georgius Sigismundus Episcopus Heliopolitanus Reverendissimi et Celsissimi Principis ac Domini Domini Francisci Joannis Episcopi Constantiensis in Pontificalibus Vicarius Generalis recognoscimus per præsentes, quod Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Octagesimo Quarto, die decima quinta Mensis Octobris consecraverimus Reverendorum P. P. Capucinorum Ecclesiam in Stans ad honorem Beatissimæ V. Mariae ad cœlos Assumptæ, et in ea quattuor Altaria: Primum in honorem Eiusdem et SS. Apostolorum Petri et Pauli; Secundum: S. Francisci Seraphici, Josephi et Claræ V.; Tertium: in honorem S. Antonii de Padua et Caroli Borromæi; Quartum: in honorem M. Magdalenæ, et in illis incluserimus Reliquias de Ss. Martyribus Eugenio, Prospero, Remigio, Felice, Beato Conf. et de Societate S. Ursulæ V. M. Statuentes Anniversarium diem jam dictæ Ecclesiæ prima Dominica post Octavam S. Francisci singulis Annis haberi celebrem Cupientes igitur, ut Ecclesia et Altaria præfata congruis frequententur honoribus et a Christi fidelibus iugiter et devote visitentur, Omnibus, qui in supra dictæ Ecclesiæ Dedicationis Anniversario ad eandem devotionis causa vota sua persolvendo confluxerint, de Omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus confisi suffragio quadraginta dies Indulgentiarum misericorditer in Domino concesserimus, harum testimonio litterarum nostro sigillo Pontificali appenso corroboratarum Constantiæ, die Sexta Aprilis anno 1686, Indictione octava.“

2. MDCCCLXXXII die IIa, mensis Novembbris Ego Anselmus Abbas Monasterii O. S. B. in monte Angelorum consecravi: Altare majus in honorem Bmæ Virg. Mariæ in cœlos assumptæ et S. Joseph ejusd. Sponsi, — Altare secund. in honor. S. Francisci Ass. et S. Fidelis a Sigm., — altare tertium in honor. S. Antonii de Pad. et S. Caroli Borrom. — et inclusi in primo Reliquias Ss. Mart. Mauritii, Donati et Diodori, in secundo Reliq. Ss. Mart. Fortunati, Laureati et Melitii, in tertio Reliq. Ss. Mart. Benigni, Blandini et S. Ursulæ V. et M., et singulis Christi fidelibus hodie unum annum et in die anniversaria hujusmodi ipsa visitantibus XL Dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta concessi.

Sigillum.

*Kloster-Archiv Stans*  
(Fortsetzung folgt.)

